Nr. 834.

CURRENDA III.

A. D. 1875.

INSTRUCTIO

ad Venerabilem Clerum Dioeceseos Tarnoviensis

IN CAUSA JUBILAEI

Universalis pro anno Salutis 1875.

Universo Venerabili Clero Dioeceseos Tarnoviensis

Salutem a Domino!

Copiosissimas inter et acerbissimas calamitates, quibus undequaque premitur quotidie Sancta Mater Ecclesia Catholica, laetissimum praesentibus Venerabiles Fratres! communicamus Vobiscum nuntium! Ecce! Sanctissimus Papa Pius IX. litteris sub 24. Decembris 1874 ad omnes orbis catholici Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos directis gratiam Jubilaei Universalis inde a 1. Januarii usque ad 31. Decembris 1875 duraturi clementissime largiri dignatus est! — Sane! in his aevi nostri amaritudinis et lacrimarum plenis temporibus, ubi ipsius Dei omnisque auctoritatis contemptus in dies ac dies crescit augeturque, quid magis exoptandum, quam illud *tempus acceptabile*, illi *dies salutis*, quos Vicarius Christi in terris et Supremus gregis catholici Pastor et Antistes, e profundissimo Ecclesiae S. thesauro proferens nobis annuntiat largiturque! Quo uberiores itaque et efficaciores ex hoc Jubilaei Universalis anno fideles, sollicitudini Vestrae Pastorali concrediti haurire atque reportare queant fructus, visum est Nobis sequentia ad Vos, Venerabiles Fratres dirigere verba, quae ad quinque puncta redegimus, nempe:

I. Agemus de ipsius Jubilaei in Dioecesi Nostra Promulgatione seu Annuntiatione.

II. De Conditionibus lucrandi Jubilaei.

III. De Forma vel Ritu celebrandi Jubilaei.

IV. De Facultatibus, quae tempore Jubilaei tam Confessariis quam poenitentibus inserviunt, et

V. De Conclusione Jubilaei.

I.

De Jubilaei Universalis Promulgatione.

Sermonem facientes de Ipsius Jubilaei Universalis in Dioecesi Nostra Tarnoviensi promulgatione sive publica annuntiatione, non possumus Venerabiles Fratres, satis monere Vos atque obsecrari in Domino Jesu, quatenus antequam ad ipsum actum solemnis promulgationis Jubilaei accedatis, prius populum fidelem, curae Vestrae spirituali concreditum rite et in quantum possibile sufficientissime circa Ipsius Jubilaei scitu necessaria instruatis et ita ad hauriendos fructus salutares ex hoc abundantissimo fonte gratiarum praeparetis. Ad hujus *praeparationis absolute et summe necessariae* tempus designamus totum mensem Majum.

Hoc itaque mense injungimus omnibus Vobis Venerabiles Fratres, ut omni die Dominica et Festiva ex ambone et in catechisationibus pomeridianis (Catechetae similiter hoc faciant in scholis suis) exponatis populo fideli: quid sunt indulgentiae in genere? ubi habent indulgentiae suum fontem? quare sunt tam salubres imo et necessariae? cui competit facultas indulgentias elargiendi? quotuplices sunt indulgentiae? quales fructus indulgentiarum et quaenam sunt conditiones easdem lucrandi? Quibus exacte expositis et probatis in specie aperiendum venit: Quid est Jubilaeum? qualis Jubilaei origo et destinatio? Quotuplex est Jubilaeum? e quibus causis Smus Pontifex Pius IX. hoc praesens Jubilaeum a. 1875. celebrari praecepit et quales conditiones hocce praesens Jubilaeum lucrandi?

Materiam docendi suppeditabunt Vobis consueta opera theologica, in specie opera Theologiae Moralis S. Alphons. Liguor. Gury, Scavini nec non minusculus libellus specialis, quem typis premi jam curavimus et qui sub n. „Przewodnik Jubileuszowy“ mox subsequetur. Per se patet, Dilectissimi Fratres! quod ad erudiendum cum fructu in rebus tanti momenti populum fidelem necessaria Vobis sit gratia Dei. *„Sine me nihil potestis facere“* (S. Joan. 15. 5.) et *„Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam“* (ps. 126. 1.) quapropter satagite ut Dominum semper prae

oculis habeatis Spiritusque Sancti illustrationem diu noctuque in orationibus Vestris imploretis.

Facta itaque tali praevia, ope instructionis spiritualis per totum mensem Majum durantis praeparatione, jam ad ipsum actum Solennis Promulgationis Jubilaei accedite et quidem sequentem in modum:

1) Die 30. Maji, quae erit Dominica infra Octavam Corporis Christi, populus ad Sacra congregatus energice excitetur, ut die 6. Junii, quae erit Dominica III. p. Pentecosten copiosissimus et frequentissimus in Ecclesia congregatus appareat, nam recte hac die i. e. 6. Junii 1875. Jubilaeum Universale initium suum in Dioecesi Nostra sumet.

2) Die 5. Junii i. e. Sabbatho ante Dominicam III. p. Pentecosten, vespere h. 7. in omnibus Ecclesiis, sive parochialibus, sive regularibus aut conventualibus totius Dioeceseos Nostrae pulsentur omnes campanae per integram horam (populo scil. praevie in hac causa bene instructo). In valvis Ecclesiarum *parochialium* affigatur Philura sub t. „Ogłoszenie Jubileuszu powszechnego w Dyecezyi Tarnowskiéj r. P. 1875, quae philura typis pressa etiam mox sequetur. Philurae hujus quilibet Curatus accipiet gratis exemplaria duo, quorum unum asservabitur in Actis Parochialibus ad perpetuam rei memoriam.

3) Ipsa die 6. Junii et Dominica III. p. Pentecosten, populo jam ad Summam congregato, Celebrans facta consueta Aspersione populi cum aqua benedicta, Encyclicam Smi Papae Pii IX. Litteras Nostras Pastorales (quae lingua polona mox sequentur) et hanc praesentem Instructionem in Altari Majori reponet, descendensque in planum ibi coram Exposito in Monstratorio Sanctissimo genuflectit et intonat Solemne „Veni Creator“ pulsantibus organo et campanis. Finito toto Hymno cantet Versum:“ „*Emitte spiritum* etc. et Orationem: „*Deus, qui corda fidelium* etc. Oratione finita breviter sed cum unctione sacra mentionem faciet Smi. Papae Pii IX. qui ad sedandam iram Dei avertendamque vindictam Ejus ob tot et tantas aevi nostri praevaricationes hocce Jubilaeum inde a 1. Januarii usque ad 31 Decembris 1875 universo Orbi Catholico annuntiat et quod Jubilaeum pensatis circumstantiis et loci et temporis in Dioecesi Tarnoviensi inde a 6. Junii usque ad 28. Novembris 1875 i. e. ad Dominicam I. Adventus inclusive duraturum Ordinaria Facultate Nostra hisce praesentibus volumus et statuimus. Dein celebretur Summum Sacrum coram exposito Sanctissimo in Monstratorio.

In Missa post Orationes de Festo, Dominica et Sanctissimo sumantur quoque Collectae pro Papa et Imperatore Francisco Josepho I. Infra Missam loco Concionis ad populum praelegantur Litterae Nostrae Pastorales idiomate polonico editae (adjectis scil. necessariis dilucidationibus ad captum populi.) Finito Sacro et recondito Sanctissimo modo con-

sueto cum cantilena „*Przed tak wielkim,*“ dicatur per Celebrantem sequens Oratio cum cantu:

℣. Domine exaudi orationem ℟.

℣. Dominus vobiscum ℟.

Oremus.

Deus, qui per Moysen famulum Tuum populo Israëlitico annum Jubilaei et remissionis instituisti, concede propitius nobis famulis Tuis Jubilaeum hoc Tua auctoritate institutum, quo portam hanc populo Tuo ad preces Tuae Majestati porrigendas ingredienti solenniter aperiri voluisti, feliciter inchoare, ut in eo venia atque indulgentia plenae remissionis omnium delictorum obtenta, cum dies nostrae advocationis advenerit, ad coelestem gloriam perfruendam, Tuae misericordiae munere perducamur, per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. ℣. Divinum auxilium ℟. Amen.

His quoad Promulgationem Jubilaei dictis, modo agemus:

II.

De Jubilaei lucrandi Conditionibus.

Lucraturus Jubilaeum *obligatur*:

1) *per 15 dies visitare quatuor stationes. Dies* hi possunt aut immediate post se subsequi aut vero cum certa interruptione. Quoad *Stationes quatuor*, per has intelliguntur designatae per Ordinarium Dioeceseos aut quatuor Ecclesiae, aut in earum defectu quatuor capellae, statuae vel cruces penes vias aut in campis, vel vero Altaria in Ecclesia

2) *tenetur*: in praefatis stationibus per 15 dies ferventissimas ad Deum Omnipotentem fundere preces pro a) exaltatione S. Matris Ecclesiae catholicae, b) pro incolumitate S. Sedis Apostolicae, c) pro exstirpandis haeresibus et convertendis ad Deum omnibus a via veritatis aberrantibus et d) pro pace et tranquillitate inter populos et principes christianos.

3) *tenetur* ad confitendum in S. Poenitentiae Sacramento peccata sua, nec non ad sumendam St Eucharistiam. Hae sunt Conditiones generales a SS. Papa Pio IX. recquisitae. Cum vero variae possint esse circumstantiae, in quibus nonnulli fideles specialiter constituti haud valerent praedictis conditionibus, inprimis quoad visitationes stationum quatuor per 15. dies satisfacere, hinc authorisati sumus, qua Ejusdem SSmi Patris Pii IX. Delegatus dispensationis gratiam ab hisce visitationibus sequentem in modum elargiri:

a) Dispensamus a visitandis quatuor Stationibus per 15. dies *omnes regulares*, et *moniales*, (quae) ad Clausuram vi regulae ordinis sui sunt obligati. (ae) Hi omnes, pro stationibus seligere possunt quatuor Ecclesiae suae altaria juxta sententiam Praepositi sui.

b) *omnes infirmos et graviter decumbentes, juventutem scholarem, incarceratos, senio oppressos eosque* omnes, qui ob quamcunque aliam causam visitationes praefatas praesumere nequeunt. His omnibus eorum Confessarii alia pia opera in recompensationem injungent.

c) Dispensamus a *praecepto S. Communionis* hos infantes, qui nondum ad 1. Communionem accesserunt, his paritre eorundem Confessarii alia pia opera v. g. orationem injungant.

d) Dispensamus denique a praecepto visitationis 4 stationes per 15 dies omnes hos, qui *tribus publicis Processionibus* (e quibus quaelibet quatuor stationes habeat oportet) interfuerint, per *unum diem jejunaverint et eleemosynam* pro posse et praeprimis in rem Aerarii Pontificii dederint, ex quo patet, quod quaelibet una Processio valeat quinquennariam visitationem stationum. Per se intelligitur, quod pro jejunio seligendam esse diem talem, quae non sit jam vi praecepti eccl. dies jejunii. Pariter apertum est: Confessionem paschalem minime supplere istam Confessionem, quae requiritur a lucraturo Jubilaeum qua conditio, sine qua non.

Quod jam adtinet memoratas supra quatuor Stationes, has quilibet Curatus, facta praevia cointelligentia cum suo Domino Decano indicabit populoque fideli fine conservandi ordinis significabit. Ne vero in instituendis publicis Processionibus accidant quaedam difficultates statuimus, ut quilibet Curatus cointelligentiam foveat cum D. Decano in puncto temporis ipsius Processionis celebrandae, ita ut quaevis Parochia pro se Processionem instituat non turbata a vicina parochia, sed e contra ut vicinae parochiae praebeatur occasio participandi in Processione, si fors in parochia sua occasio haec jam cessavit. Et ut hicce ordo per Decanatus servetur Dominis Decanis ad cor ponimus relationemque super peractis tempore suo praestolamur.

Quid in qualibet Statione orandum, vide libellum „Przewodnik Jubileuszowy“ et qui legere nesciunt, dicant in qualibet statione 5 Pater Noster et 5 Ave et unum Credo ad intentionem S. Matris Ecclesiae.

Itinerantes possunt post reditum suum conditiones lucrandi indulgentias supplere gratiaeque Jubilaei in toto participes fieri, quae tamen licentia ultra annum solarem 1875 non extenditur.

III.

De Ritu celebrandi Jubilaeum!

1) Quaelibet *Parochia ternas* absolvet Processiones, quamlibet ad quatuor Stationes, ut jam supra diximus.

2) *Dies* pro celebranda Processione sit semper aut Dies Dominica vel vero Dies Festiva ad populum.

3) Quodsi *tempestas* a celebranda Processione arceret, preces in libello „Przewodnik" praescriptae possunt dici circa Ecclesiam vel in Ecclesia ipsa et quidem ad Stationes tali in casu in ipsa Ecclesia seligendas.

4) Die ipsius Processionis celebrandae in Ecclesia propria celebrabitur (ubi sunt duo sacerdotes) *Missa votiva pro remissione peccatorum*, (in colore violaceo), qua finita brevis exhortatio spiritualis ad populum, quo magis idem ad poenitentiam et dolorem de peccatis excitetur. Exhortationem excipiet statim *Prima Statio* (juxta Przewodnik.) Nunc Processio orditur, infra quam consuetae Litaniae vel cantilenae populo notae decantabuntur. Ad Secundam, Tertiam et Quartam Stationem recitabuntur Preces ex libello „Przewodnik."

5) Cum Processio advenerit ad Ecclesiam, ad quam directa fuit, cantabitur (scil. facta praevia cointelligentia cum respectivo Curato) Sacrum *Solenne* coram *exposito* in *Monstratorio Sanctissimo*. Infra Missam Concio, ad quam dicet ille, quem D. Decanus maturo tempore designaverit. Materia Concionis sit Jubilaeum.

6) Cum facile accidere posset, quod deficeret Sacerdos ad celebrandam Summam, hinc iterum D. Decani solliciti sint desuper, ut tam Concionatores quam Sumistae pro singulis Parochiis per Decanatum designentur et quidem maturo tempore, ad praecavendas omnes ex hac parte inamoenitates.

7) Secunda et tertia Processio eodem ritu celebrentur cum hoc, quod in reditu e tertia Processione, in Ecclesia propria coram exposito in Monstratorio Sanctissimo decantandus sit hymnus: „Te Deum" pulsantibus campanis et organo.

8) Durantibus Processionibus populus peragat S. Confessionem et reficiatur SSmo Eucharistiae Sacramento, quamvis hoc toto tempore durantis Jubilaei fieri potest.

9) Superfluum Nobis videtur adhortari Vos Venerabiles Fratres et per viscera misericordiae Dei obtestari, quatenus omnem moveatis lapidem, ut Processiones hae in Spiritu verae humilitatis et in animo contrito cum aedificatione populi imo et infidelium et haereticorum quorumcunque celebrentur.

IV.

De Facultatibus tempore Jubilaei.

Facultates hae aliae sunt pro Poenitentibus aliae pro Confessariis.

Quoad *Poenitentes* — his licitum est eligere sibi Confessarium qualemcunque Sacerdotem, regularem vel saecularem, modo hic approbatus sit a proprio Episcopo. Pariter Moniales et Novitiae confiteri possunt coram quocunque Sacerdote, qui ad excipiendas Monialium Confessiones a proprio Episcopo est approbatus.

Non potest autem qua Confessarius eligi Sacerdos complex in turpi, excepto articulo mortis (Bened. XIV.)

Quoad *Confessarios* — licet absolvere:

1) ab omnibus peccatis, etiam a casibus Sedi Papali vel Sedi Episcopali reservatis, hinc etiam ab haeresi. Excipiuntur: a.) Absolutio earum, quae innocentes Confessarios criminis sollicitationis ad turpia falso accusant, b.) Absolutio a poena Excommunicationis majoris in eos latae, qui complicem in turpi absolvere praesumunt. (Benedict. XIV. Sacram. Poenit.)

2) Licet Confessariis absolvere ab Excommunicatione, Suspensione et quacunque Censura eccl, *excepta* Excommunicatione vel Suspensione de *nomine* facta.

3) Licet *Confessariis* dispensare ab irregularitate occulta, quae ob censurae violationem incursa est.

4) Licet Confessariis *immutare vota.* Excipe vota: *Castitatis, Ingressus in religionem, votum* in favorem tertii et *vota poenalia* prouti: *votum* abstinentiae ab usu *Cremati.* Per se patet, omnes supra dictas Absolutiones, Dispensationes et Commutationes nonnisi pro foro conscientiae esse dandas.

Observatio. Indulgentias Jubilaei nonnisi semel lucrari conceditur. Qui ergo obtenta absolutione a casu reservato in alium casum reservatum vel eundem de novo inciderit, hic vigore Jubilaei absolvi nequit.

Indulgentiae Jubilaei hujus possunt quoque applicari animabus in purgatorio detentis scil. erga conditiones supra citatas adimplendas.

Si quem, peracta v. g. una Processione aut peractis aliquot visitationibus mors praeveniret ita ut reliquas conditiones adimplere haud valeret, hic, obtenta in S. Confessione absolutione, refectus quoque SS. Eucharistia lucratur Indulgentias.

V.

De Jubilaei Conclusione.

Finis Jubilaei cadet in diem 28. Novembris 1875., qui erit Dominica I. Adventus, qua itaque die populus fidelis praevie excitetur ut copiosissimus compareat in Ecclesia, ubi ante meridiem celebrabitur (ubi sunt duo Sacerdotes.) Votiva de SSma Trinitate in gratiarum actionem, in colore albo, coram Exposito Sanctissimo, cum Concione adaequata. Finito Sacro intonabitur Św. Boże et dicantur Orationes pro Ecclesia, Papa, Imperatore Francisco Josepho I. pro Antistite Josepho Aloysio et abscondetur Sanctissimum. *Post meridiem* Vesperae cum Concione, Processio et „Te Deum" Campanae pulsentur per horam integram.

Edocti itaque Carissimi in Christo Jesu Fratres circa hoc opus salutis, quod in nomine Domini alacri animo et hilari vultu pro Dei gloria, pro triumpho Ecclesiae lacrimantis, pro salute animarum et pro evertendo regno infernali suscipiendum omnibus nobis venit, — mementote — Vos, si aliquando certe hoc tempore Jubilaei esse eminentissimo sensu *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.* — Vos elegit Deus ut *eatis et fructum afferatis* et *fructus Vester ut maneat.* Agite ergo fortes Athletae Christi, dimicate cum diabolo et satellitibus ejus, Christus Vos confortet et Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus Sancti sit Vobiscum Amen.

Dabamus in Aedibus Nostris Festo S. Mathiae Ap. 1875.



Josephus Alojsius,

EPISCOPUS TARNOVIENSIS.

Tarnoviae 1875. Typis A. Rusinowski, Typographi ad honores Episcopalis. Impensis Consistorii.